Quid de iterata Medeae
Euripideae.
Editione sit iudicandum.
Theodorus A. J. Klette.




THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

# QUID DE ITERATA
# MEDEAE EURIPIDEAE
# EDITIONE SIT IUDICANDUM.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO


PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**THEODORUS KLETTE,**

CROSSENSIS.




LIPSIAE,

MDCCCLXXV.

Res, quam tractandam nobis proposuimus non nova est, nec nostris demum temporibus inventa, immo vero ea, quae iam a P. Manutii, saeclo sexto decimo florentis, temporibus ad hanc usque aetatem viris studiis veterum operam navantibus disputandi praebuit ansam, — quaestionem dico de iterata, quam usurpant, Euripideae Medeae editione. At dicat quispiam, si ita res se habet, cur tam obsoleta nec nisi aegre iterum legenda rursus in medium fers agitanda? Res haec est. Si, quam sumus tractaturi, sic ab editoribus vel interpretibus uno tenore tractata exstaret quaestio, ut qualis sit eius status ac conditio, inde statim intelligi posset, ne verbo quidem eam attingeremus. Attamen vero eorum, qui huic rei operam dederunt, virorum commentationes, velut Wolperi, Boeckhii, Matthiaei, Elmsleii, God. Hermanni, Pflugkii, sic sunt compositae, ut ex omni parte, quid sit iudicandum, manifestum non reddant, cum et ipsi quaestiones magis amplificaverint, quam ad finem usque perduxerint, et praeter eos alii hic illic adnotationibus per occasionem allatis aut aliquid addiderint aut abrogaverint. Nec in eo, qui nuper est editus Weckleini libro [1]), etsi multa in quaestionem nostram praeclare afferuntur, prorsus definita est disputatio. Itaque operae pretium videtur esse, ut ex dispersis ubique argumentis similia colligamus, contraria secernamus, inter se perpendamus, quid de iis sit iudicandum ostendamus, itáque eam, quae sit rei conditio, manifestam reddamus. —

1) Ausgewählte Tragödien des Euripides, Bd. I Medea.

Sed priusquam, quod propositum est, aggredi liceat, necessarium est, ut duas praemittamus quaestiones haud neglegendas nobis de duplici Euripidis Medea disserentibus. Ac prior quidem ad dubitationem pertinet, quam, quantum scio, primus movit Samuel Petitus[1]), qui falsa ac perversa interpretatione loci cuiusdam Athenaei IX. p. 453 commotus, Medeam quam habemus ab Euripide Mnesarchi filio abiudicandam, Euripidi minori, qui illius e fratre fuerit nepos, tribuendam esse censuit, de quo Suidas s. v. *Εὐριπίδης· Εὐριπίδης τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς, τραγικός, ὡς Διονύσιος ἐν Χρονικοῖς. δράματα αὐτοῦ ταῦτα· Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη.* Athenaei, qui Clearchum Solensem sequitur auctorem, verba haec sunt: *ὥςτε τὸν Εὐριπίδην μὴ μόνον ὑπονοεῖσθαι τὴν Μήδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν,* — de grammatica Calliae tragoedia agitur —, *ἀλλὰ καὶ τὸ μέλος αὐτὸ μετενηνοχότα φανερὸν εἶναι.* Euripidem igitur ad illius tragoediae exemplum suam Medeam scripsisse et trochaico, quo ea scripta erat, metro usum fuisse, si non etiam in ceteris, in melicis quidem Chori, interpretatur[2]). Quod autem in ea, quam habemus, Medea, hoc poëtae studium, quod tamen maxime in eo dramate elucere scribat Athenaeus non animadvertatur, Medeam non esse Euripidis Mnesarchi filii concludit vir doctus. Qualis natura tragoediae illius Calliae fuerit, hic describere prorsus abhorret a proposito nostro. Nec nisi in coniecturis tota quaestio versatur. Quid ex Athenaei verbis concludi posset, Hermannus et postea Welckerus investigarunt, quorum prior[3]) ex Athenaei loco, VII. pag. 276 A. *καὶ γὰρ Καλλίαν ἱστορεῖ τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ᾽ ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν* — 'non dubium esse demonstravit, de solis choris agi, quos, quod primaria tragoediae pars haberentur, *τὴν Μήδειαν πᾶσαν* dicere potuerit

---

1) Miscell. VI. cap. 15. — 2) Petitus pagg. 137. 139. — 3) In Observationibus de Graecae linguae dialectis, Lips. 1807.

Athenaeus'. Atque Medeae carmen adscribit Hermannus, vs. 148—159 N., quod percommode ad Calliae exemplum constitui possit. Sed sive hunc sequimur sive Welckerum, qui totam rem ad iocum referendam esse putavit comici cuiusdam, fortasse Strattidis in Medea[1]), — nisi id constaret, Athenaei auctorem, quantum quidem videmus, Euripidem *τὸν Πάνυ* in mente habuisse, quippe quem et aliis locis una cum Sophocle Calliam imitatum esse legimus[2]), — aut alium quemquam scriptorem Clearchum significare voluisse contenderim, aut ut in aliis rebus enarrandis nimia in his quoque indiligentia et levitate usum eum fuisse censuerim[3]). — Praeter Petitum Hieronymus Muellerus Medeam, quam habemus, ab Euripide Mnesarchi filio abiudicare est conatus[4]), atque iis quidem argumentis, quibus alii duplicem editionem demonstrare studuerint. Quam ob rem infra de iis disputabitur. Sed omnis dubitatio de eo, qui Medeam conscripserit, versu totius fabulae primo tollitur, ab ipso Aristophane maiori Euripidi tributo, qui versus est:

*Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος*[5]).

Alterum illud, quod praemittendum erat, a ceteris omnibus prorsus neglectum video, a God. Hermanno leviter tantum perstrictum, qui quidem primus[6]) quaerit, quid omnino illud sit, correctam edere fabulam. 'Nam vel compositionem fabulae mutari posse, vel partes aliquas refingi, vel hic illic verbum aliquod aut versum minus numerosum corrigi.' Operae pretium est, has varias corrigendi rationes ab Hermanno tantum indicatas, brevibus illustrare, ac quid inter singulas intercedat, investigare.

---

1) Cf. Kleine Schriften I. S. 382 sqq. — 2) Cf. Dindorf. in Chronolog. Scenica, Metris Aeschyli etc. Oxonii 1842 edit. adjecta, pag. 412. — 3) Cf. Schweighaueseri Animadvers. in Athenaei libr. X. pag. 453 E. — Ionsius. de Scriptor. Historiae Philosoph. I. cap. XVIII. 1 sqq. — Pflugk, Euripidis Medea, ed. II. pag. 6 sqq. — 4) Medea, eine griechische Tragödie etc. Erfurt 1811. — 5) Cf. Aristoph. Ran. 1419. Boeckh, Graecae Tragoediae Principum etc. pag. 166. — 6) In adnotationibus ad Medeam, ab Elmsleio Lips. 1822 editam, pag. 404.

Totius fabulae compositio mutatur. Quod sic fieri potest, ut poëta qualibet causa commotus, ita denuo fabulam tractet, ut eius argumentum in universum idem, tractandi ratio diversa sit. Cuius rationis Euripidis ipsius habemus exemplum. Is enim, cum Choerilam in matrimonium duxisset, impudicitia eius commotus drama conscripsisse fertur, Hippolytum velatum, quo feminas acerbissime castigaverit [1]). Postea autem alterum, quod ad nos pervenit, drama scripsit, Hippolytum coronatum, in quo 'τὸ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον διώρθωται' [2]). — Haec altera editio Olymp. LXXXVII, 4 in scenam missa est, id est anno post Periclis obitum, nec veri dissimile est, quod Boeckhius [3]) docere studuit, Euripidem hanc fabulam consulto sic instituisse, ut et Periclis mortui et morbi nuper Athenis grassati rationem haberet [4]). In diiudicanda autem hac ratione praeter alia id maxime videndum est, quantum temporis spatium inter priorem et posteriorem editionem sit interpositum. Quantum enim discrimen intercedat inter priores Euripidis fabulas et eas, quas posteriore aetate conscripsit, et alii docuerunt et God. Hermannus [5]), qui critico 'antequam ad fabularum emendationem accedat, quo quaeque tempore scripta sit, et proinde, quantum in quaque studii aut incuriae ferri possit,' investigandum praecipit. Quod quantum valeat, elucet. Nam si poëta fabulam prorsus mutat, ut quasi novam edat, hanc eam debere speciem prae se ferre manifestum est, quae in aliis eiusdem aetatis fabulis cernitur. Atque eo maius inter duas illas editiones erit discrimen, quo maius temporis spatium interpositum est. Neque vero credendum est, poëtam ipsum adeo secum dissensisse, ut etiam in singulis eiusdem aetatis fabulis prorsus diversam componendi ac dicendi rationem sequeretur. Cuius quaestionis disceptandae nova

1) Vita Eurip. in Schol. ed. Oxonii, vol. I. pag. 8, 7. — 2) Argm. Eurip. Hippol. — 3) l. c. pag. 180 sqq. — 4) Conf. Hippolyti finem et vss. 177, 190 sqq. — 5) In Observat. de Gr. linguae dial. pag. IX.

nuper sunt allata argumenta in Tych. Mommseni dissertatione ad quam infra nobis erit recurrendum [1]).

Alius conditionis reliquae corrigendi rationes ab Hermanno indicatae sunt, quarum altera in refingendis quibusdam partibus dramatis cernitur, altera in corrigendis verbis vel versibus. His rationibus tum plerumque poëtas usos esse videmus, ubi eandem fabulam iterum edituri haec illa, quae displicerent, aut magis aut minus mutarent. In illis tamen investigandis summa cautione opus est, ne, nisi certissima accedant indicia, iis statim locis, qui offensiones habeant, de duplici editione cogitemus. Quousque autem licentia eorum vagetur, qui tales de quibus diximus corrigendi rationes ubivis invenisse sibi videantur, in perlustrandis iis argumentis apparebit, quibus ad demonstrandam iteratam editionem Medeae fabulae usi sint. — His praemissis ipsam rem propositam aggrediamur.

## I.

Disputandi de Medeae quam habemus origine ansam praebuit Argumenti locus, quo legitur: *Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος* — sic cod. Flor. 31, 15; contra cod. Pal. 287 *παναιοφρόνως* et cod. H. *πάνυ εὐφρόνως*, quae Dindorfio inepta grammatici coniectura videtur esse, ut *γενναιοφρόνως*, quod Brunckius edidit — *διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι.* Cod. Flor. scripturam, quae diu latuit, post Beckium, qui in *γενναιοφρόνως* latere putabat: *ὁ Σικυώνιος Νεόφρων,* coniectura sunt assecuti Matthiaeus [2]) et Elmsleius [3]), qui quidem in constituendis ipsis verbis consensus non impedivit, quominus in interpretandis iis maxime dissentirent. Cum enim Elmsleius in verba *δοκεῖ ὑποβαλέσθαι Εὐριπίδης* vocem supplendam esse censeret, ut Euripidem fabulam Neophronis recepisse et recensuisse verti posset, — quod quidem

1) Vid. Georg. Curtii recensionem, Jenaer Liter. Zeitung 1874, nro. 535. — 2) pag. 420 sqq. edit. — 3) pag. 52 edit.

cum eo congruit, quod Dindorfius in poet. scen. V ed. edidit: *τὰ Νεόφρονος* —, Matthiaeus eum vituperat 'quod tragicum omnium ferme nobilissimum alienam, i. e. Neophronis fabulam sibi supposuisse putet.' Nec tamen illud *ὑποβαλέσθαι* se expedire fatetur Matthiaeus; pro *ὑποβληθῆναι* id dictum esse, vix esse credendum. Postremo et ipse 'an exciderit nomen eius, qui hanc fabulam supposuisse existimatus sit' quaerit. Certe excidit; nec aliud quam Euripidis nomen excidisse, vel potius supplendum esse, ex verbis quae secuntur, apparet: '*μέμφονται δὲ αὐτῷ*', quae etsi nomen non sit allatum, ad alium praeter Euripidem referri nequeant. Cum his autem de Medea Neophronis traditis optime congruunt, quae duobus etiam aliis locis de ea commemorantur. Alter, de quo infra, Suidae est; alter apud Diog. Laert. II, 134 exstat, ubi de Menedemo agitur: '*πταίουσιν οἱ λέγοντες μηδὲν αὐτὸν ἀνεγνωκέναι πλὴν τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἔνιοι Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασί.*' Quae cum ita sint, mirum videatur, quod tot tantaque exstant virorum doctorum hac de re iudicii discrimina, nisi concedendum esset, de ipsius Neophronis aetate haud multum certi esse traditum. Nec omnino constat, utrum unus tantum fuerit Neophron, qui ante Euripidem vel eius temporibus vixerit an post Euripidis aetatem alter floruerit Neophron tragicus, Medeae scriptor. Sed quamquam ob argumentorum inopiam haud multum certi ad lucem possunt proferri, tamen pauca, quae manifesta esse puto, quoad in rem nostram, colligere liceat, — quippe in qua disputatione cavendum est, ne ultra manifesti fines progrediamur. Certa, ac si Suidae fidem habemus, gravissima eius est adnotatio s. v. *Νεόφρων ἢ Νεοφρῶν, Σικυώνιος· οὗ φασὶν εἶναι τὴν τοῦ Εὐριπίδου Μήδειαν. ὃς πρῶτος εἰςήγαγε παιδαγωγοὺς καὶ οἰκετῶν βάσανον.* Hinc elucet, Neophronem tragicum, qui Medeam conscripserit, qua usus est Euripides, ante hunc florere debuisse, quod primum eum paedagogos in scenam misisse Suidas narrat. Sed fuerunt, qui Suidae haec de Neophrone narranti fidem negandam esse censerent; inter quos et Matthiaeus est, qui cum

Lexicographi auctoritatem haud multum valere putet, 'inscitiae potius illud vel neglegentiae Suidae tribuendum esse contendit, praesertim cum in aliis quoque rebus fidem non servaverit'[1]). Sed de iis quoque dubitemus, quae duorum scriptorum, Suidae et Diogenis, testimoniis congruentibus firmantur, nedum Argumenti locum commemorem? Nonne de iis tantum dubitare sat erit, quae manifestas habeant offensiones? Quas quidem in iis, quae porro de Neophrone Suidas tradit, inesse, concedendum est. Ait enim: '*συνῆν δὲ τὰ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι καὶ διότι φίλος ἦν Καλλισθένει τῷ φιλοσόφῳ σὺν ἐκείνῳ καὶ αὐτὸν ἀνεῖλεν αἰκισμοῖς*'. Quae in eum, de quo egimus, Neophronem referenda non esse apparet, cum qui ante Euripidem vixerit, Alexandri aequalis fuisse nequeat. Quomodo hoc discrimen sit solvendum, numquam certe diiudicabitur. Fortasse duo fuerunt Neophrones, quorum alter Euripidis, alter Alexandri aequalis; quae de utroque nota erant, aut neglegentia aut errore coniunxit Suidas. Nisi forte in iis, quae s. v. *Καλλισθένης* Suidas tradit, investigandi veri inest ansa: '*Διοτίμου. οἱ δὲ Καλλισθένους, Ὀλύνθιος, μαθητὴς Ἀριστοτέλους καὶ ἀνεψιαδοῦς. ὃν ἔδωκεν ἕπεσθαι Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι. ὃν δ' ἐν γαλεάγρᾳ σιδηρᾷ βαλὼν ἀνεῖλεν ἅμα Νεάρχῳ τῷ τραγικῷ, διότι συνεβούλευσε μὴ ἐπιζητεῖν ὑπὸ Ἀθηναίων καλεῖσθαι δεσπότης κ. τ. λ.*' — Quod de Nearcho tragico a nullo scriptore quicquam est traditum, fuerunt, qui in hac Suidae glossa pro *Νεάρχῳ* '*Νεόφρονι*' legendum esse putarent. Sed infirmissimo haec utuntur fundamento. Ideo nullo modo cum Hartungio faciam, qui, cum quae maiorem veri similitudinis speciem habeant, neglegat, ea plana ac manifesta putat, quae summis difficultatibus sunt plena[2]). Haec eius verba: 'durch ein seltsames Missverständniss ist bei den Gelehrten jetzt die

1) Cf. Elmsleium, pag. 53, qui Suidae non semper credendum esse Pherecratis veteris comoediae poëtae exemplo docet, quem cum Alexandro militasse ait Suidas. — 2) Eur. Medea Griech. mit metr. Uebers., Einleitung pag. IX, Anmerkung.

Ansicht verbreitet, dass Euripides dem Neophron sein Drama abgeborgt habe. Darauf hatte nämlich niemand geachtet, was Suidas ganz klar und deutlich berichtet, dass Neophron mit und bei Alexander dem Grossen gelebt habe.' Sed haec hactenus. — Jam vero investigandum nobis est, qua ratione Euripides Neophronis Medeam in suum usum verterit, — quae quaestio, quam instituere nequimus, nisi tria Neophronis fragmenta, quae habemus, ipsa inspiciamus, arctissime cum quaestione de iterata editione cohaeret. Duo fragmenta scholiastae, tertium Stobaeus tradiderunt. Schol. ad vs. 666: *Νεόφρων δὲ εἰς Κόρινθον τὸν Αἰγέα φησὶ παραγενέσθαι πρὸς Μήδειαν ἕνεκα τοῦ σαφηνισθῆναι αὐτῷ τὸν χρησμὸν ὑπ' αὐτῆς τῆς Μηδείας γράφων οὕτως·*

*καὶ γάρ τιν' αὐτὸς ἦλθον λύσιν μαθεῖν*
*σοῦ· Πυθίαν γὰρ ὄσσαν ἣν ἔχρησέ μοι*
*Φοίβου πρόμαντις, συμβαλεῖν ἀμηχανῶ.*
*σοὶ δ' εἰς λόγους μολὼν ἂν ἤλπιζον μαθεῖν.*

Stob. flor. XX, 34: *Νεόφρονος ἐν Μηδείᾳ·*

*εἶεν, τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς*
*πρὶν ἢ ἐξαμαρτεῖν καὶ τὰ προσφιλέστατα*
*ἔχθιστα θέσθαι. ποῖ ποτ' ἐξῆξας, τάλας;*
*κάτισχε λῆμα καὶ σθένος θεοστυγές.*
*καὶ πρὸς τί ταῦτα δύρομαι ψυχὴν ἐμὴν*
*ὁρῶσ' ἔρημον καὶ παρημελημένην*
*πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκιστα; μαλθακοὶ δὲ δὴ*
*τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά;*
*οὐ μὴ προδώσεις, θυμέ, σαυτὸν ἐν κακοῖς.*
*οἴμοι, δέδοκται· παῖδες, ἐκτὸς ὀμμάτων*
*ἀπέλθετ'. ἤδη γάρ με φοινία μέγαν*
*δέδυκε λύσσα θυμόν. ὦ χέρες χέρες,*
*πρός οἷον ἔργον ἐξοπλιζόμεσθα· φεῦ,*
*τάλαινα τόλμης, ἣν πολὺν πόνον βραχεῖ*
*διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ.*

Schol. ad vs. 1387: *Νεόφρων δὲ ξενικώτερον ἀγχόνῃ φησὶ τελευτῆσαι. τὴν γὰρ Μήδειαν παράγει πρὸς αὐτὸν εἰποῦσαν·*

*φθερεῖ τέλος γὰρ αὐτὸς αἰσχίστῳ μόρῳ*

*δέρῃ κρεμαστὸν ἀγχόνην ἐπισπάσας.*
*τοία σε μοῖρα σῶν κακῶν ἔργων μενεῖ,*
*δίδαξις ἄλλοις μυρίοις ἐφημέροις*
*θεῶν ὕπερθε μήποτ' αἴρεσθαι βροτούς.*

Primum fragmentum, ubi cum verbis Euripideae Medeae respondentibus [1]) contulerimus, statim apparebit, paullo aliud secutum esse argumentum Neophronem, quam Euripidem. Ille enim Aegeum ad ipsam Medeam iter facere narrat, ut ab illa de accepto oraculo certior fiat; Euripides Aegeum forte ad Medeam venientem facit, in ipso itinere Troezenas suscepto, ubi Pittheum regem sapientem de obscuro oraculo certiorem se facturum esse sperabat. His igitur in enarrandis Euripides diligentius quam Neophron quae tradita omnibusque nota erant servabat, dum multis aliis locis, neglectis traditis, nova, quae ipsi magis arriderent, fingere haud cessabat. Quin etiam in iisdem rebus enarrandis ne ipse quidem sibi constans est. Cuius rationis exempla Boeckhius diligentissime collegit [2]); quocum tamen in eo non faciam, quod 'in duabus adeo Medeis duas discrepantes fabulas secutum esse Euripidem' contendit, de quo statim disputabitur. — Idem fere de tertio fragmento est dicendum. Cum Neophron in describenda morte Iasonis aliam atque priores sequeretur traditionem, cum suspendio eum vitam finisse narret, Euripides, quae erant tradita, in suam fabulam restituit, quibus Iaso Argus fragmento necatus esse dicitur, vs. 1386 sqq. —

Nec tamen omnes eadem de his versibus utuntur sententia. Interpolatos eos esse ac reiciendos Nauckius censuit [3]), quod quidem iudicium his haud valde veri similibus argumentis firmare studet. I. 'Die Weissagung über den Tod des Jason ist an dieser Stelle höchst befremdlich, da Medea weiter unten, vs. 1396, ihm das Elend eines kinderlosen Alters in Aussicht stellt, indem sie sagt:

*οὔπω θρηνεῖς· μένε καὶ γῆρας.'*

Alterum igitur deesse debebat? Sed quid inter priora

1) vss. 665 sqq. — 2) l. c. pag. 258. — 3) Eurip. Studien I, 137.

Medeae verba et ea quae postea dicta sunt intercedit congruum? Nihil certe. Nam illis prioribus Medea, postquam Corinthiis solemnia imposuit celebranda, sceleris piacula, se autem ipsam ad Aegeum iter esse facturam, ut matrimonium cum illo iniret, praedicavit, — quid iam aliud restabat, nisi quod Iasoni quoque, quae perfidiae ac periurii poena ei immineret vaticinaretur. Senem liberorum deliciis privatum iri, non praedicat; hoc ipse Iason scit, cum liberi modo essent interfecti. Apte autem illo momento, quo Iason liberorum iacturam deplorat, vs. 1395:

*στείχω, δισσῶν γ᾽ ἄμορος τέκνων* —

Medea maritum monere poterat, ut lamentationes in eam aetatem reservaret, qua iis magis quam in iuventute indigeret, in senectutem, qua soli liberi patris adminicula ac deliciae sint. — Prorsus eadem sententia in fragmento Dictyos fabulae nobis tradita est[1]), ubi haec leguntur: *ὅδε παραμυθούμενος τὴν Δανάην δυσπενθοῦσαν Δίκτυς φησί·*

*δοκεῖς τὸν Ἅιδην σῶν τι φροντίζειν γόων*
*καὶ παῖδ᾽ ἀνήσειν τὸν σόν, εἰ θέλοις στένειν;*
*παῦσαι· βλέπουσα δ᾽ εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ*
*ῥάων γένοι᾽ ἄν, εἰ λογίζεσθαι θέλοις*
*ὅσοι τε δεσμοῖς ἐκμεμοχθῆναι βροτῶν*
*ὅσοι τε γηράσκουσιν ὀρφανοὶ τέκνων*
*τοὺς δ᾽ ἐκ μεγίστης ὀλβίας τυραννίδος*
*τὸ μηδὲν ὄντας. ταῦτά σε σκοπεῖν χρεών.*

Itaque et priora et posteriora ab Euripide apte sunt allata; ac re vera miraremur, si quae ad Iasonem pertinerent, Euripides silentio praetermisisset, cum ex more suo ea omnia afferre soleat, quae ad fabulam vel mythum ad finem usque cognoscenda memoratu utilia sunt[2]). II. ‘Auch sieht man nicht, wie die hier bezeichnete Todesart als eine schmachvolle gelten kann, — *κατθανεῖ κακῶς* —; eben so

1) Plut. Mor. pag. 106 a, — Dind. frgt. 336. — 2) Cf. Wecklein ad vs. 1386.

wenig, wie sie ein Resultat der Vermählung mit der Medea ist, da ein Unglück, wie das hier erwähnte, doch lediglich vom Zufall abhängt.' Quid, si Iason, qui per vitam suam tot tantaque facinora feliciter perpetraverat, qui monstra horribilia devicerat, cuius denique vitam postea tam scelestam honesta mors in pugna accepta purgasset, — si, aio, talis vir navis cuiusdam atque eius, in qua ipsa tot pericula subierat, puppi caesus mortem obit, vix moriendi ratio cogitari potest, quae magis foeda sit. In hac autem morte foeda re vera inest poena scelestissimi, quod Iason perpetraverat, facinoris, i. e. fraudis ac perfidiae in Medeam commissae, qua nuptiae illae primum tam felices tam acerbe finirentur, *πικρὰς τελευτὰς τῶν ἐμῶν γάμων ἰδών*[1]). III. 'Endlich ist es überhaupt ein Räthsel, wie Iason, der die Argonautenfahrt längst hinter sich hat, von einem Ueberbleibsel der Argo getödtet werden kann.' De morte Iasonis diversissima sunt tradita. Neophron suspendio se ipsum Iasonem interficientem facit. Carcinus et Hyginus Iasonem a Medea occisum esse tradiderunt. Scholia autem in vs. 1387 Argus puppi Iasonem mortem obiisse narrant, quorum unum '*κατὰ Μηδείας χόλον ἢ κέλευσιν*' id factum esse addit; quocum id quod Staphylos[2]) adnotat, consentit: '*ἐγκελεύσασθαι γὰρ αὐτὴν*, — sc. *Μήδειαν* —, *οὕτως ὑπὸ τῇ πρύμνῃ τῆς Ἀργοῦς κατακοιμηθῆναι, μελλούσης τῆς νεὼς διαλύεσθαι ὑπὸ τοῦ χρόνου. ἐπιπεσούσης γοῦν τῆς πρύμνης τῷ Ἰάσονι τελευτῆσαι αὐτόν.*' Inde cum Nauckio concludi nequit, Iasonem itinere maritimo nondum perfecto esse mortuum, quo tempore Argo non tam fragilis esse poterat, quam a Staphylo describitur. Immo vero si id quod Apollod. I 9, 78 narratur, respicimus, navem iam decem annos ante perfidum illud Iasonis in Medeam facinus Neptuno esse dedicatam, putandum est, navi tempestatum vi collabefacta Medeam usam esse, ut quae perpessa erat ab Iasone ulcisceretur. Quomodo ad conscendendam navem Iason sit commotus, non traditur. Medeam ipsam

1) Medea vs. 1388. — 2) Hyp. Eur. Med.

eum adhortatam esse, ex traditis non cernitur, cum Corinthum eam rediisse, nusquam afferatur. Quibuslibet aliis machinationibus uti poterat ad perficiendum id quod sibi proposuerat. — Quod ad alterum illud fragmentum a Stobaeo nobis traditum, attinet, alii Euripidis interpretes gravissima ex iis concludi posse sibi persuaserunt, alii ne minimam quidem in iis inesse aliquid diiudicandi ansam. Neophronis verbis Euripideae Medeae respondent vss. 1028 sqq., quibus de Medea agitur, maximis animi perturbationibus commota, cum inter liberorum amorem et summam uliciscendi cupiditatem huc illuc abripiatur; quam partem, quod ad describendas perturbationes et elocutionem attinet, in pulcherrimarum totius fabulae numero esse inter omnes constat. Quod Weckleinum commovit, ut Neophronem primum hoc drama sic instituisse negaret. Sed ipsius de hac re sententia nimis quaesita esse videatur. Cum enim demonstrare studeat, quomodo de duplici Medeae ab ipso Euripide instituta editione rumor natus sit, ad iudicium pervenit, et ipsi valde dubium: Neophronem ex Medea quadam Euripidis novam conformasse fabulam, quae prae Euripidis fabula quibusdam virtutibus fuerit praedita. Qua re commotum esse Euripidem, ut suam fabulam iterum tractaret, quae non apta viderentur omitteret, ex Neophronis editione, quae placerent, adoptaret. Sic natam esse famam, novam Euripidis fabulam nihil esse nisi alteram editionem Medeae Neophronis. — Quae nisi artificiosis conclusionibus ex Neophronis fragmentis cum Euripidis Medea comparatis enucleari nequire, patet. — Multo propius ad veram rei conditionem Elmsleii, qui praeter alios optime de interpretanda Medea meruit, iudicium videtur accedere, qui, cum id ipsum, quod Weckleinus totius disputationis fundamentum putat, minoris momenti esse iudicet, 'quantum ex fragmentis Neophronis conicere liceat, potius fabulae oeconomiam personarumque mores, — nos addimus: adhibitis, ubi placebat, mutationibus —, quam verba aut sententias Euripidem a Neophrone mutuatum esse' credat. Porro progredi vix liceat. Nullo autem

modo ex fragmentis Neophronis alteri Euripideae Medeae editioni lucem evasuram esse statuendum est.

## II.

Prorsus aliam iteratae editionis originem demonstrandi viam ingressus est Boeckhius[1]), qui miro modo Medeam iterum esse editam firmari putabat narratiuncula illa, a scholiasta[2]) et ab Aeliano[3]) tradita: accepisse Euripidem a Corinthiis quinque talenta, ut Medeam ipsam faceret suos liberos interficientem, quos secundum alios Corinthii iugulavissent. Atque acerbissime increpat Barnesium, 'hunc quidem criticum omnium ineptissimum, quod hac quoque macula suo more purgaturus fuerit delicias suas,' nec fidem habeat traditis. Boeckhium, hac in re nimis certe credulum, Hermannus refellit[4]), qui 'minus veri simile esse putat Euripidem, cum ante a Corinthiis occisos fecisset Medeae pueros, id argento corruptum mutavisse, quam munere illo adductum esse, ut quod alii isto modo tradidissent, ipse aliter in scenam produceret[5]). Quin etiam Corinthios credibile esse, si ab ipsis occisos Medeae filios introduxisset Euripides, alium tragicum, ut ea se culpa liberaret, permovisse, quam ab initio eum ita ut iam contraria scriberet, adiisse'. Et hanc narrationem, ut alia eiusmodi, ex comici cuiusdam ingenio natam esse, veri simile est[6]). Nec igitur id inde concludere licet, quod iam Boettigerus[7]) et Matthiaeus[8]) putaverant, Euripidem primum fuisse, qui Medeam suos liberos trucidantem in scenam misisset. Id cum iis, quae supra sunt enucleata, nullo modo convenit. — Iam vero Boeckhius, postquam, unde duplex recensio originem duxerit, demonstrasse sibi visus est, vestigia eius his rationibus manifestare studuit. Ac primum quidem verss. Med. 1381 sqq.

1) l. c. pag. 166. — 2) in Med. vs. 10. — 3) V. H. V, 21. — 4) l. c. pag. 407. — 5) cf. h. l. pag. 11. — 6) Conf. Wecklein, Einleitung pag. 29. — 7) Matthiaei Miscell. I pag. 117. — 8) pag. 427 edit.

*Γῇ δὲ τῇδε Σισύφου*
*σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν·*
*τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου* —

Medeae tributos non illius sed Iunonis esse censuit. Quod tamen non omnibus persuasit. Cum enim non intelligeret, 'qui Medea, quae ipsa liberos trucidaverit, tam foedo nomine caedem adpellaret, qui Corinthiis imperare posset, ut instituerent sacra propter eam', cum Matthiaeus oblocutus est[1]), tum God. Hermannus recte opposuit, Medeam caedem 'eo quo debeat nomine appellare *δυσσεβῆ φόνον*', non minus illo quidem apto, quam antea vs. 796: *ἔργον ἀνοσιώτατον*, et vs. 1328: *ἔργον δυσσεβέστατον*; 'atque hic ubi sacra ad expiandam illam caedem se instituturam ait, necessarium esse, ut ipsa improbet illud facinus'. Quod praeter ea monet Boeckhius '*γῆν Σισύφου* Corinthum invidiose appellari' in eo non plus invidiae inesse, quam vss. 404. 5 in his:

*οὐ γέλωτα δεῖ σ᾽ ὀφλεῖν*
*τοῖς Σισυφείοις τοῖς τ᾽ Ἰάσονος γάμοις* —,

sed Corinthios et nihil amplius intelligi, Hermanno concedi debet. — Nec tamen primus fuit Boeckhius, qui vss. 1381 sqq. Iunoni tribuit. Iam ante eum Boettigerus[2]) dubitationem moverat, Aristotelis loco effectam[3]) '*φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν*'. Vituperat igitur Aristoteles, quod deorum vel heroum interventu fabulae ad finem perducantur. Sed in Euripidis fabula non inveniri dei vel herois interventum; nec designari posse Medeam alato curru insistentem. Inde concludendum esse, 'in priore editione Iunonem aliquas in fine partes habuisse, quae ex machina apparuerit, cum tota *ῥῆσις* Medeae in ea, quae adhuc legatur fabula melius in Iunonem quadret, quam in feminam fugam quam celerrime capessentem', pag. 123. Deinde 'offen-

1) Pag. 429 adnotat. — 2) Matth. Misc. I. pag. 123. — 3) Art. poet. XVIII, 12 ed. Herm.

dere docet Boettigerus pag. 124 quae statim sequantur de morte Iasonis'; postremo interrogat, 'quis umquam fando acceperit, vaticinatam esse Medeam et fatidicam mulierem futura praedixisse'. Boettigero oblocuti sunt Matthiaeus et God. Hermannus. Quorum prior, etsi pro simplici editione pugnat, leviores tamen affert rationes, quam quibus adversariis persuadere possit. Ex Aristotelis enim verbis, antea citata sequentibus[1]) '*ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν, ὃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἰδέναι ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας*' — demonstrare conatur 'si in ea quam legeret Aristoteles fabula Iunoni hae partes tributae fuissent, ut ea, quae Iasoni instarent vaticinaretur, nullam futuram fuisse causam reprehensionis; deae enim assignari quae convenirent deae'. Atque haec sententia, quam, quantum probari nequeat, statim cognoscemus, eo fere recurrit, quo Wolperi tendit iudicium[2]),— qui pag. 43 Medeae personam, licet currus, quo Medea vecta Athenas aufugerit, machinis adducendus esset, tamen prope spectare et *ἐξ αὐτοῦ τοῦ μύθου συμβαίνειν,* neque *ἔξω τοῦ δράματος* esse dicit. Qua in re quanto errore sit ductus Wolperus, Hermannus monstravit, qui '*μῦθον*, quem Aristoteles dicat, actionem complecti indicat, quam poëta composuerit, cuius singulae partes recte apteque cohaerere interque se nexae esse debeant. Currum autem nihil esse nisi adminiculum, ad quod poëta confugerit, cum aliter periculo eripere Medeam nesciret'. Quod postremum affertur, Medeam nusquam esse inventam fatidicam, nec per se offendere potest, 'cum et alibi rerum futurarum haud praescii vaticinantes introducantur' nec verum est, cum etiam apud Pindarum[3]) Medea *ζαμενὴς παῖς Αἰήτα — δέσποινα Κόλχων*, Cyrenarum origines vaticinetur: *εἶπε δὲ οὕτως*

*ἡμιθέοισιν Ἰάσονος αἰχματᾶο ναύταις κ. τ. λ.*

Cf. Wecklein ad vs. 1386. — Inter Hermanni sententiam

---

1) A. poet. XVIII, 13. — 2) De Eur. Med. tragoed. correcta et denuo recens. Gotting. 1818. — 3) Od. Pyth. IV.

et id quod Wolperus ac Matthiaeus de Medeae partibus censuerunt medium tenet Gravenhorsti iudicium, qui tamen quodammodo secum ipse dissentit[1]). 'In der Medea vertritt die Heldin selbst die Stelle dieses sogenannten deus ex machina, eine Rolle, zu welcher die Zauberin an sich wohl geeignet scheinen kann, die aber mit ihrer sonstigen im Stücke selbst vertretenen Persönlichkeit in einigem Widerspruche steht. Et pag. 101: Kleinere Uebelstände, wie das zufällige Auftreten des Aegeus und die oben bemerkte doppelte Rolle der Heldin werden vor dem überwältigenden Eindruck der Haupthandlung wenig beachtet'. De primo illo, quod Medeam ipsam dei ex machina locum tenere Gravenhorstius contendit, amplius disputare omittamus. Hoc constat, non in Medea ipsa in curru evolante cerni posse deum ex machina, sed in eo, quod omnino mulieri maxime oppressae alicunde adminiculi instar currus mittatur. Qui miserit eum, haud multum refert, nam non in persona sed in re posita est dei ex machina ratio. Nec aliter Aristotelis de hac re verba possunt declarari et idem hoc Hermannum censuisse, ex verbis eius modo citatis apparet. Quod autem Medea, ubi est servata, quae futura sint, vaticinatur, mulieri sapienti magicarumque artium peritae optime convenit. — Huic de deo ex machina disputationi finem faciamus allato Hartungii iudicio quod protulit permiro. Is enim, cum ex more suo Euripidem ab omnibus fere vitiis solvere ac liberare studeat, eaque quae aliis displiceant, pulcherrima habenda esse praedicet, ne ipse quidem sentit, quod quantisque obstringatur erroribus. Cum alii in interpretandis Aristotelis verbis dissentiant, Hartungius Aristotelem ipsum vituperat, quod et Aegeum non apte in scenam missum et deum ex machina non sequi ex fabulae compositione censeat. 'Und er — Aristoteles — hat in beiden Fällen geirrt, so wahr der Leser lebt und dies nun sogleich selbst einsehen wird'[2]). Pericli-

---

1) Griech. Theater, Stuttg. u. Augs. 1856. pag. 88. — 2) L. c. Einleitung pag XIV.

temur igitur intelligere! Primum non fuisse necessarium, ut sic, quomodo in animo haberet, Medea facinus suum perpetraret; non fuisse necessarium, ut Medea vitam servaret; aut si servare debebat, paullo prius ei liberos trucidare licuisse, statim post missa dona, ut fugiendi occasio pateret. — Si talium rationum quandam poëta elegisset, Aristoteles certe deum ex machina non vituperasset. Sed porro videamus[1]). — 'Fast möchte man glauben, dass das der Gedanke des Dichters selbst war, der hinter allen Wundern eine natürliche Entwicklung durchblicken lässt. Denn es ist im ganzen Verlauf des Stückes nicht auf die Maschine gerechnet und wird auch von der Medea nirgends an sie gedacht. Die Maschine ist hier wie überall gleichsam zum Ueberfluss und mit Gewalt herbeigezogen, um der Tragödie einen würdigen Schluss zu leihen (?). Dieser Schluss ist für die Tragödie dasjenige, was für eine Standrede die peroratio ist, in welcher der Inhalt des ganzen noch einmal vereint vor die Augen gestellt wird, nicht in langweiliger Wiederholung, sondern in energischer Concentrirung und mit dem Aufwande aller dem Redner zu Gebote stehender Kräfte. Bei der Tragödie müssen auch äussere auf die Sinne wirkende Mittel zur Hülfe genommen werden, und die Maschine darf daher selten fehlen'. Deus igitur quasi crinibus trahitur, ut tragoediae solemnem imponat conclusionem? Ergo non necessarius est, non cum ipso fabulae argumento arctissime cohaerens, immo vero maxime solutus, supervacaneus, ab Aristotele iure vituperatus. Quae autem inter perorationem et fabulae finem deo effectum intercedit similitudo? Haec orationis argumentum paucis refert, comprehendit, — deus, quod hominibus obscurum, mirum videbatur, explicat, quae futura sunt, praefatur; ac re vera in iis fabulis deesse nequit deus, in quibus spectantibus, si deesset, de fine tragoediae dubium relinqueretur. Sed nunquam haec ratio, quamvis poetae verba sint pulcherrima, potest laudari. Cf. Pflugk, l. c. pag. 9.

1) Pagg. XV, XVI et comment. ad vers. 1008 edit. Hart.

## III.

Quae ad hunc usque locum tractata sunt argumenta, ad universae Medeae fabulae compositionem atque oeconomiam pertinuerunt. Nihil ex iis in iteratae Medeae editionis usum nos profecisse vidimus. — Transeundum iam nobis est ad perlustranda ea argumenta, quae inesse putarunt viri docti in locis quibusdam veterum scriptorum, sub Medeae nomine nobis traditis, — quibus quidem, cum in ea, quam habemus fabula aut mutatos inveneris aut frustra qaesiveris eos, duplicis editionis investigandae ansam maxime idoneam praeberi viri docti putarunt. Sed pars eorum locorum, quos priores editores vel interpretes hoc in genere adnotaverunt, prorsus silentio nobis est praetermittenda, cum alios non nisi editorum neglegentiae debeamus [1]), alii ex deterioris notae codicibus vel editionibus minus correctis duxerint originem [2]). Ac primum quidem, quod ex Ennianae Medeae fragmentis in nostram disputationem proficiamus, quaerendum est [3]).

De ratione, qua Ennius in vertendis Graecorum scriptorum fabulis sit usus, veterum complura exstant testimonia. Cic. Acad. I, 13 non verba sed vim Graecorum poëtarum expressisse Attium, Pacuvium, Ennium tradit. De Fin. 1, 2: ʻHis igitur est difficilius satifacere, qui se latina scripta dicant contemnere. In quibus hoc primum est quod admirer: cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini

---

1) Cf. vss. 109 110, quos a Stobaeo citatos in nostra Medea diu frustra investigarunt viri docti. — 2) Cuius rationis hoc sufficiat exemplum. Olim Hesychii s. v. *ἀπαιώνιστον* verba *Κόρινθον ἀπαιώνιστον* in Euripidis Medea exstitisse, docti putabant Liceat, qualis glossa iam legitur, cum adnotatione exscribere. *ἀπαιώνιστον· δύσφημον. Εὐριπίδης Ἀλκμέωνι (τῷ) διὰ Κορίνθου — Εὐριπίδης ἀλλὰ καὶ διὰ ἀκορίν. Ἀπαιώσιον·* δ codex *Εὐριπίδης ἀλλαχοῦ καὶ ἐν Μηδείᾳ Κόρινθον ἀπαιώσιον. δύσφημον* coni. Musurus, *Εὐριπίδης Ἀλκμαίωνι διὰ Κορίνθου* egregia Matthiaei est emendatio, quam perfeci. M.Schmidtius.— 3) Conf. Planckium, Q Ennii Medea, Götting 1807 pag 47. 67 sqq.

Romano, qui Ennii Medeam aut Pacuvii Antiopam spernat aut reiciat? qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit'. Alterum hoc testimonium cum priore illo non satis convenire videatur. Sed Ciceronis verba 'fabellas latinas ad verbum expressas' non ita esse premenda, ex tertio eius apparet loco, Or. 11: 'neglegentius multa apud eum, — sc. Ennium —, fuisse, quam apud Pacuvium[1]). — Ubi vero fragmenta ipsa Ennii inspexerimus, testimonia illa a vero haud abhorrere apparebit. Dum alia ad verbum fere Euripideis versibus respondent[2]), alia aut magis aut minus Euripidis vestigia sunt secuta, cum, quae latino scriptori minus arriderent, aut contrahantur[3]), aut liberiore quadam ratione tractentur[4]). Unde sequitur, ut haud facile ei persuadeant, qui duplicis recensionis inesse putent vestigia in iis fragmentis, quae non prorsus cum Euripidis sententiis conveniunt. Nec illud certo documento esse potest, quod Ennii fragmenti, a Cicerone[5]) traditi prorsus nulla in ea quam habemus Medea vestigia invenias. Ciceronis verba haec sunt: Tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris caveto: et quoniam Medeam agere coepi illud semper memento:

'Qui ípse sibi sapiéns prodesse nónquit, nequiquám sapit'

quae ad versum Euripidis respicere apparet[6]):

---

1) Cf. Hor. a. poet. 262. Quint X 1, 88. — 2) Conf. frgt. ap. Ribbeck. III = Eurip. Med. vss. 57 58:

Cupído cepit míseram nunc me próloqui
Caelo átque terrae Médeaï míserias
= *ὥσϑ' ἵμερος μοὐπῆλϑε γῇ τε κοὐρανῷ*
*λέξαι μολοῦσαν δεῦρο δεσποίνης τύχας.*

Quod *δεσποίνης* vocabulum 'Medeai' voce redditum est, fuerunt, qui in his duplicis recensionis inesse indicium putarent. Si tali argumento utimur, omnia possunt probari. — 3) Conf. frgt IX = Eur. Med. vss. 371—75, 399—400, ut quae Euripides octo expressit versibus, tribus Ennianis contineantur. — 4) Cf. frgt. X = Eur. Med. 502—504. — 5) Ep ad Fam. VII, 6. — 6) Apud Cic. Ep. ad fam. 13, 15, 2.

μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Quod fragmentum primum P. Manutium commovit[1]), ut de duplici Medea Ennii atque Euripidis cogitaret. Nihil tamen ex eo posse concludi, primus Planckius monstravit. Fortasse exstabat versus ille in tetralogia, cuius Medea fabula pars erat, et per errorem huic fabulae tribuebatur. Duplicis recensionis argumento eo uti vix licuerit. — Ex fragmentis eorum poëtarum, qui post Euripidem Medeas composuerunt[2]), nihil in hanc disputationem proficimus.

Infirmissimo autem ei utuntur fundamento, qui ex tragoedia illa Gregorio Nazianzeno — seu iure seu iniuria — tributa, quae quidem Χριστὸς Πάσχων inscribitur, in usum nostrum aliquid concludi posse censeant. Scriptor enim tragoediae illius, quae magna ex parte ex veteris tragoediae versibus composita est, interiectis ipsius poëtae versibus[3]), illis sic usus est, ut aut quantum ipsi liberet, eos mutaret, aut immutatos reciperet. Quod statim intelliges, ubi versus Euripideos in tragoediam illam translatos examinaveris; de quo cum Elliseni librum inspicias[4]), tum Doeringii commentationem[5]), qui luculenter demonstravit, in Chr. Pat. scripturis ab Euripideorum codicum discrepantibus saepius Euripidis unice genuinas scripturas esse servatas[6]), cum antiquiores Euripidis libros Christi Patientis scriptor in manibus habuerit. Sed inde non sequitur, in discrepantia inter Chr. Patientis et codicum Euripideorum scripturas duplicis recensionis cerni indicia. Nil inde cernitur, nisi ex deterioris notae fonte nostros libros Euripideos duxisse originem. Itaque de his satis. — Quid de reliquis huius generis argumentis sit censendum, luculentissime explicarunt cum Elmsleius[7])

1) Comment ad Cic. ep. ad Fam. VII, 6. — 2) Bioti, — Nauck. fragt. trag. pag. 642. —, Carcini — Nauck. pag. 620 —, Dicaeogenis — Nauck. pag. 101. —. — 3) Ita ut in 1273 Chr. Pat. versibus 1125 Euripidis versus, in 410 Chr. Pat. unius Medeae 329 vss. cernantur. — 4) Die Tragödie Χριστὸς Πάσχων, Lpzg. 1855 Einl. pag. L. — 5) Die Bedeutung der Tragödie Χρ. Π. für die Euripideskritik, Philolog. XXV, 1867, pag. 220 sqq. — 6) Cf. pag. 238 II. — 7) l. c. pag. 59.

et Matthiaeus[1]) tum, quod ad locos ab Aristophane parodia illusos attinet, W. Ribbeckius[2]) — quare pauca addidisse sufficiet.

1. Ad Ar. Acharn. 119: *ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένε* — scholiasta Aristophanem Euripidis versum Medeae: '*ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον*' parodia vexasse adnotat Peliadum vel Aegei hoc esse fragmentum docuit Matthiaeus pag. 426.

2. Ar. Pax 1012: *εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας*
*Ὀλόμαν ὀλόμαν ἀποχηρωθεὶς*
*Τᾶς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας.*

Quae verba ad Eurip. Medeae vs. 97:
*ἰὼ μοί μοι, πῶς ἂν ὀλοίμαν*
esse referenda, verisimile est. Ribb. pag. 306.

3. Thesmoph. 1130 Aristophanes Euripidem haec loquentem facit:
*σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφά*
*μάτην ἀναλίσκοις ἂν*
quae ex Medeae verbis sunt expressa, vss. 298 sqq.:
*σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ*
*δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι.*

Quod in quibusdam Medeae libris pro *σοφὰ* '*ἔπη*' sit positum Porsonus prius illud in priore editione scripsisse putat Euripidem, in altera mutasse, irrisione Aristophanis commotum. Cf. Porson. ed. ad. vs. 300. —

4. Vs. Medeae 1317, maxime vexatus, in libris sic legitur:
*τί τάςδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας.*
Chr. Pat.: *τί τάςδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις λόγους,* quocum consentit Ar. Nub. vs. 1397: *ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ κἀναμοχλευτά,* Heliod. Aethiop. I pag. 15: *τί ταῦτα* — sc. *τὰ ἔπη* — *κινεῖς κἀναμοχλεύεις; τοῦτο δὴ τῶν τραγῳδῶν,* — scriptor ineditus: *τί ταῦτα κινεῖς κἀναμοχλεύεις,* cf. Matthiaei not. in vs. 1307, qui alium Euripidis locum e deperdita fabula Aristophanem respexisse dicit, in quo haec legerentur:
*τί ταῦτα κινεῖς κἀναμοχλεύεις;*

---

1) pag, 425, 426. — 2) In eo qui Acharnensium editioni adiectus est libro: D dramatischen Parodieen bei den Attisch. Comikern.

Porsonus πύλας vocem pro λόγους posuisse putat Euripidem, ab Aristophane propter duriorem metaphoram in scaena traductum. — Verum videtur iudicasse Doeringius[1]), qui cum ob verba praecedentia nihil nisi 'τί τάςδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας' Euripidem scribere potuisse contendat, hanc satis quaesitam dictionem Aristophanem eo traduxisse putat, quod Phidippidem sophisticarum artium peritum λόγων μοχλευτήν appellaret. Deinde criticum quendam putantem, ἀναμοχλεύεις λόγους Euripidem scripsisse, eius verba correxisse. Hanc autem variam scripturam a Chr. Pat. scriptore et locis supra citatis esse traditam. Cui rationi haud ingratae nihil addiderim. — Errorem quendam, quo Matthiaeus de his versibus disputans captus est silentio haud praetermiserim. Miratur enim vir doctissimus, si Euripides re vera 'irrisionum tam impatiens erat, ut unam vocem 'σοφά' hoc loco eximeret, in multis aliis relinqueret,' alios versus ab Aristophane irrisos eum non mutasse, velut primum Medeae versum, in Ranis vs. 1382 illusum. Sed oblitus est Matthiaeus, Euripidem iam non valuisse mutare id quod Aristophanes irriserat, cum is mortuo demum Euripide Ranas conscriberet et Lenaeis, id est septimo eiusdem, Ol. 93, 3 anni mense doceret.

Videmus igitur inter omnia huius generis argumenta, quae ad demonstrandam iteratam Medeae editionem afferantur vix unum esse, quod probabilitatis speciem prae se ferat, nedum de duplici editione nobis persuadeatur.

## IV.

Restant duo genera argumentorum, quorum prius positum est in versibus vel sententiis bis in fabula exstantibus, alterum, in variis eiusdem loci codicum lectionibus. Quid de priore sit statuendum, reputemus. Aut poëtae ipsi aut alii cuidam debemus illas repetitiones. Sed quomodo id factum esse animo informabimus? Ut ponamus, poëtam, aut qualibet quam nescimus, causa commotum, aut quod haec illa

1) l. c. pag. 225.

displiceant, mutare, corrigere denique omni modo id assequi studere, ut quam proditurus sit fabulam quam perfectissimam mittat. Quod studium certe laudandum est, nec facile poëtam inveneris, qui hoc limandi studium, ubi necessarium est, priusquam iterum fabulam edat, neglexerit. Iam vero, quid in Medea videmus? Hic versus reperiuntur, qui postea aut sub eadem aut mutata specie redeant, illic duae sententiae deinceps secuntur, quibus aut iisdem aut simillimis verbis eadem repetantur; nec semper cur eadem bis sint dicta, investigare possumus. Atque in his poëtae corrigendi studium cernatur? An putandum est, fieri potuisse, ut poëta ipse tanta neglegentia in emendanda fabula versaretur, ut non solum ipsas correcturas sed etiam ea, quae correxerat, in textum reciperet? At dicat quispiam, in hac ipsa re cernitur duplex recensio; attamen poëta non ipse utramque scripturam composuit, sed quilibet alter, qui cum utramque recensionem in manibus haberet, casu aut neglegentia ex priore editione haec illa in alteram transferret, ut iam in hac utrumque exstaret. Concedamus. Sed examinemus talem qualem modo illustravimus locum, qui quidam a Weckleino allatus est ad demonstrandam duplicem editionem. In Med. vss. 723—730, — *οὕτω δ' ἔχει μοι* — *καὶ ξ. εἶναι θέλω* —, eadem sententia bis exprimitur, cum versus:

723 *οὕτω δ' ἔχει μοι· σοῦ μὲν ἐλθούσης χθόνα*
724 *πειράσομαι σοῦ προξενεῖν δίκαιος ὤν.*
729 *ἐκ τῆςδε δ' αὐτὴ γῆς ἀπαλλάσσου πόδα·*
730 *ἀναίτιος γὰρ καὶ ξένοις εἶναι θέλω.* —

et versus 725—728:

*τοσόνδε μέντοι σοι προσημαίνω, γύναι·*
*ἐκ τῆςδε δὲ μὲν γῆς οὔ σ' ἄγειν βουλήσομαι.*
*αὐτὴ δ' ἐάν περ εἰς ἐμοὺς ἔλθῃς δόμους*
*μενεῖς ἄσυλος κοὔ σε μὴ μεθῶ τινι.*

inter se congruant. Haec sic Euripidem scripsisse, nemini persuaderi possit. Igitur duabus illis rationibus a sciolo quodam conglutinatis, duplicis recensionis vestigia indicantur. Sed dicat quis, quid prius scripserit Euripides, atque

quae causa fuerit, cur illud mutaret. Suntne hi versus sic compositi, ut mutatione egerent, an illos eos putaveris, qui meliore iure in priorum locum succederent. Vix hanc quaestionem possis diiudicare, nec ullum omnino invenias argumentum omnibus probabile, quo evincere possis, Euripidem ipsum mutandi sibi causam esse, credidisse. Quid igitur restat nisi ut ab interpolatore quodam haec illa circumscripta et margini adscripta fuisse, deinde autem casu in ipsam fabulam recepta esse statuamus [1]. — Talibus interpolationibus omnia fere veterum scripta vel magis vel minus esse contaminata, inter omnes constat, nec nisi alia accedant graviora argumenta iis uti licet ad iteratas editiones demonstrandas. In interpolationum autem numero, quae in Medea sunt investigatae haud paucae exstant eius generis, quod in versibus vel sententiis repetitis cernitur. Nec tamen is iustus evaserit iudex, qui ex contraria parte omnia, quae sunt repetita, pro spuriis et interpolatis vendiderit. Quomodo tales repetitiones sint natae, et ex veterum ipsorum testimoniis scimus [2], et ex indiciis haud raro manifestis potest conici. In quarum numero habendi sunt versus:

[40 . 41] = 379 . 80 Nauck
[468] = 1324
784 = 949
923 . 4 = [1006 . 7]
[1062 . 3] = 1240 . 1

quas ad duplicem recensionem non maiore iure rettuleris, quam eam, de qua modo disputavimus. Itaque sat erit qui-

1) Conf. R. Prinz, Jenaer Lit. Ztg. 1874 nro. 342; Nauck., qui verss. 723. 724. 730 ut spurios, uncis saepit, reliquos sic constituit: 725. 726. 727=728 vet. ord., 728=729, [729=730 vet. ord.], 730=727 vet. ord. — 2) Cf. Didymum in schol. ad vs. 356: *οὐ γάρ τι δράσεις. Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ ʽσιγῇ δόμους εἰςβᾶσʼ, ἵνʼ ἔστρωται λέχοςʼ, καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς, ὡς ἀκαίρως αὐτὸ τάσσουσιν,* et schol. ad vs. 379: *ἢ θηκτόν· ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν ἐπὶ τῶν δύο τὸ ʽσιγῇ δόμους εἰςβᾶσαʼ καύσω ἢ σφάξω αὐτούς*, — unde actoribus illarum originem deberi apparet.

bus eae exstent locis indicare. Versus uncis conclusi interpolati sunt. Amplius de iis disserere, interpretis est[1]).

Quod restat argumentorum genus, quod quidem in diversis eiusdem loci codicum lectionibus est positum, non gravius est, quam quod modo illustravimus. Cuius rationis prima exstant specimina Tib. Hemsterhusii in Aristoph. Pluto et Valckenarii in Eur. Hippolyto; in Medea, de qua agimus, primus hac ratione usus est Fr. Osannus in analectis criticis; post eum God. Hermannus[2]), cui 'an poëtae ipsi aliquid correxerint, ex eo maxime colligi posse videtur, si eusdem loci duae ita diversae scripturae inveniuntur, ut causa, cur altera alteri substituta fuerit, neque ab histrionum vel errantium, vel commoditati suae aut temporibus inservientium, neque a grammaticorum, dictionis potissimum puritatem spectantium rationibus repeti possit. Versari autem fere ea in his, quae ut quid magis perspicue ut aptius, ut elegantius, ut ornatius, ut fortius dictum sit, mutata esse appareat'. Osanni, qui hanc rationem iam sex annis ante erat secutus[3]), ac Matthiaei, qui eam castigaverat[4]), ne verbo quidem mentionem facit Hermannus. Eo magis, quid de illa ratione sit censendum apparebit, ubi quomodo uterque ea usus sit, perspexerimus. — Osannus triginta septem tractat scripturas variantes, Hermannus viginti quinque indicat, quibus duplex editio eluceat. Quos omnes singulos tractare, ac quae eorum conditio sit investigare, longum nec operae pretium est. Hoc attulisse sufficiat, de sex tantum locis viros illos doctos eadem uti sententia, de quo tamen numero unum statim demere debemus locum. Versu enim, quem indicat Hermannus 668 N. *τί δ' ὀμφαλὸν γῆς θεσπιῳδὸν ἐστάλης;* editio Aldina, quae ex codice Palatino valde depravato est excussa et nonnulli codices pro '*ἐστάλης*' praebent '*ἱκάνεις*'. Quod in Euripidis fabula, quae hodie non extet, olim esse lectum, Elmsleius suuspicatur in vs. 651. Sed recte glossema

1) Conf. Matthiaeus, Tom. VI pag 424. 5. — 2) Adnot. pag. 407. — 3) Anal. crit. pag. 90 sq. — 4) l. c. pag. 424

non variam id esse lectionem Osannus monet. Quod per se patet, cum *θεσπιῳδὸν ἱκάνεις* iambici senarii non esse clausulam primo appareat obtutu. Praeterea, quod tamen levius duxerim, verbi *ἱκάνειν* in Euripidis fabulis superstitibus alterum non exstat exemplum; apud Sophoclem paucissima eius reperiuntur exempla. Restant igitur quinque loci iam breviter tractandi:

1. N. 530. 1. *ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε*
*τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.*

Quos versus non nisi una cum antecedentibus tractare licet. Iason summis conviciis a Medea affectus, quod ipsam, quae semper atque in summis periculis illi fuisset adiutrix, deseruisset atque aliam mulierem in matrimonium duxisset, contra accusationes illas se defendere conatur. Non Medeam, sed Venerem, unam et deorum et hominum in periculis tutelam, ipsum adiuvisse. Deinde haec leguntur:

*σοὶ δ' ἔστι μὲν νοῦς λεπτὸς ἀλλ' ἐπίφθονος*
*λόγος διελθεῖν, ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε*
*τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.*

In quibus interpretandis multum viri docti elaboraverunt[1]). Barnesius: at invidiosa erit mihi oratio percurrere, quomodo amor te coegerit; Musgravius: Malim *σέ*, ut regatur ab *ἠνάγκασε*. Idem: aeque commodum foret *λόγοις*, hoc fere sensu: et est quidem subtile ratiocinium sed verbis explicari invidiosum. Obicit Elmsleius, quod, si *λόγος* scripsisset poëta, verba hoc potius ordine collocasset: *σέ δ' ἐστι νοῦς λεπτὸς μέν, ἀλλ' ἐπίφθονος λόγος διελθεῖν, ὡς ἔρως ἠνάγκασε.* Quod interpretari me nequire fateor. Brunckius secundum scholiasten: *καὶ σὺ μέν, φησί, συνορᾷς, ἅτε δὴ λεπτὸν καὶ ὀξὺν ἔχουσα τὸν νοῦν, ὅτι ἡ Ἀφροδίτη με ἔσωσεν. ἀλλ' ὑπὸ φθόνου ὁ λόγος σοι ὑποφέρεται, ὅς ἐστιν ἀληθής, τὸ 'σὸν ἔρωτα σέσωκέ με.* Barnesius *τὸ σὲ διὰ τὸν ἔρωτα σεσωκέναι με,* pro quibus Elmsleius mavult *τὸν σὸν ἔρωτα σεσωκέναι με*, probans ille quidem Brunckii interpretationem.

1) Cf. Elmsleium ad. vs. 516.

Sententia igitur haec esse debet: Et ipsa vides, ut es mente subtili, Venerem me servasse, sed ob invidiam sermo tuus, qui est verus, eo aberrat, ut tuum amorem me servasse putes. Aliter scholiasten interpretari vix possis, et sensus verborum est manifestus. Sed vereor ne in Euripidis verbis non insit. Sic hos versus constituendos esse puto:

*σοὶ δ' ἔστι νοῦς μὲν λεπτὸς, ἀλλ' ἐπίφθονος,*
*λόγῳ διελθεῖν, ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε* etc.,

quae sic vertenda sunt: 'tibi autem mens subtilis vel callida illa quidem sed invidiosa est, i. e. odiosa, odium efficiens, — quod sermocinaris, amorem te coëgisse ut me serves.' Sic non subtilis mens et invidiosa oratio Medeae inter se opponuntur, sed duae mentis qualitates significantur, quarum altera illo momento Medeae verba effecit. — Nescio an Hartungius, qui versus sic constitutos:

*ὁ δ' ἔστι μέν μοι λεπτός ἀλλ' ἐπίφθονος*
*λόγος διελθεῖν, ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε* etc.

ita vertit: Allein das ist so ärgerlich als treffend auch,
Beweis zu führen, dass die Lieb allein dich zwang —, ad hoc tempus alicui persuaserit. — Altera difficultas in eo est, quod pro '*τόξοις ἀφύκτοις*' in codd. P. C., Dind. et in V superscriptum exstet '*πόνων ἀφύκτων*.' Utramque scripturam, quam citat scholiasta[1]), antiquam esse Osannus putat. Sed utrumque suo iure est dictum, sive Veneris vim, quam nemo fugere possit, sive quanta sint Medeae in Iasonem merita significare malumus. Cur Euripides ipse alterutrum mutavarit, non manifestum est. Elmsleius '*πόνων ἀφύκτων*' genuinam Euripidis esse scripturam censet[2]). Habuisse enim grammaticos unde hanc scripturam mutarent, cum et Med. vs. 634 — Elmsl. 620 — '*ἄφυκτον οἰστόν*', et Hipp. vs. 1422 '*ἀφύκτοις τόξοις*' legerent, si minus recte cui dictum videretur *πόνων ἀφύκτων ἐκσῶσαί τινα*'. —

2. Vs. 752: *ὄμνυνι γῆν καὶ λαμπρὸν Ἡλίου φάος.*

Variae scripturae sunt: '*Ἡλίου θ' ἁγνὸν σέβας* B. C.

---

1) Ad. vs 529 Dind. — 2) Ad. vs 518.

λαμπρόν θ' ἡλίου φάος vel λαμπρὸν ἡλίου φάος vel λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς P, in quo a correctore versus est additus. Hanc varietatem ex duabus ipsius Euripidis natam esse scripturis, vix credibile. Elmsleius Euripidem 'ἡλίουθ' ἁγνὸν φάος scripsisse putat, librariorum autem oscitatione invectum esse 'ἡλίου τε λαμπρὸν φάος.' Ab hac scriptura, quasi a communi origine, alias facile derivari potuisse scripturas. Si omnino originem varietatis illius demonstrare audemus, hoc Elmsleii conamen Osanni sententiae praeferendum puto esse.

3. Quod versu 1206:

*ᾤμωξε δ' εὐθύς, καὶ περιπτύξας δέμας*

pro δέμας codd. P. C. χέρας legitur, utrumque Euripidem scripsisse putemus?

4. Vss. 1225—1227:

*οὐδ ἂν τρέσας εἴποιμι τοὺς σοφοὺς βροτῶν*
*δοκοῦντας εἶναι καὶ μεριμνητὰς λόγων*
*τούτους μεγίστην μωρίαν ὀφλισκάνειν.*

Vs. 1227 Ald. habet μωρίαν. Codd. et Etym. Gud. pag. 231 ζημίαν. Duplicis recensionis non video indicium.

5. Vs. 1228:

*θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ.*

Pro 'εὐδαίμων ἀνήρ' Chr. patiens[1]) 'ὄλβιος φύσει' exhibet. Fortasse scriptor ignotus genuinam tradidit scripturam. Sed nec id scimus nec id scire in hanc disputationem multum interest, de quo prius dicta in memoriam revoces[2]). Et hoc igitur argumentum infirmissimum est. — Iam videmus, in his quoque ne unum quidem probabile duplicis editionis inesse indicium. Etiam nunc igitur huic rationi fidem habeamus? An Osanno ipsi id accidisse putemus, quod iis, qui nimio studio duplicis recensionis vestigia indagandi correpti, in quacunque lectionis varietate evidentia rei indicia se reperire confidant, accidere ipse contendit? Ad hanc licentiam, vix quidem, si talem sequeris rationem, vitandam,—

1) Vs. 1013 — Ell. 1016 —. — 2) cf. pag. 22.

qua quidem ratio ipsa corruit —, accedit, quod quam incerto saepe uteremur fundamento in Euripidis fabulis arte critica tractandis perploravimus. Codices, quibus utimur saeclo demum duodecimo ex libro fluxisse recenti atque graviter depravato et interpolato, scimus. Ex talium igitur codicum scripturis discrepantibus in hanc quaestionem nos aliquid esse profecturos putabimus? An Aldinae editioni immeritam tribuamus gravitatem? Itaque et hanc missam faciamus argumentationem.

## V.

Nondum ad finem pervenimus huius disputationis. Cum nos, si recte disputatum est, ne unum quidem probalile, ne dicamus certum argumentum, quo iterum Medeam editam esse demonstrari posset invenerimus, ii qui pro duplici editione pugnent, annum quoque ostendunt, quo iterum fere Medeam Euripides in scaenam miserit. Boeckhius[1]) iteratam editionem factam esse contendit 'post Ol. XCI, 3, quo anno docta Thesmophoriazusae, 'cuius vs. 1019 coll. Musgrav. Chronol. Scenic. Ol. XCI, 2 et 3.' Primum monendum est, Thesmophoriazusas non Ol. XCI, 3 in scaenam esse missas, sed anno demum Ol. XCII, 1 Dionysiis urbanis[2]). Ex Boeckhii igitur sententia post Ol. XCII, 1 demum Medea iterum est edita. Inter primam igitur et alteram editionem, si eum sequimur, viginti annorum spatium interpositum est, inde ab Ol. LXXXVII, 1 ad Ol. XCII, 1. Iam vero, potestne cogitari, Euripidem tot annis post Aristophanis irrisione commotum esse, ut Medeae suae aliam inderet formam? Et, ut ponamus, sive Aristophanis iocis sive Corinthiorum pecunia commotum eum esse, ut Medeam iterum ederet, — potestne cogitari, singulas tantum fabulae partes, quae ad mortem

1) l. c. pag. 174. — 2) Cf. schol. ad vs. 1069: *ἐπεὶ πέρυσιν ἐδιδαχθη ἡ Ἀνδρομέδα,* quam Ol. XCI, 4 actam esse, ex schol. Ar. Ran. 53: *ἡ γὰρ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει* — ante Ol. XCIII, 3 — *προεισῆκται* constat; vid. Dindorf. Chron. Scen. pag. 418. 19.

liberorum pertinerent eum mutasse, dum has, quae per totam fabulam illic tendant, immutatas relinqueret, eas nempe, quae matris inter amorem liberorum et mariti odium maxime agitatae partibus fabulae summum movendae spectantium misericordiae momentum tribuant. Si illa poëta mutabat, totam fabulam aliter componere debebat. — An credendum est, poëtam illum quem, quantum semper temporum rationem habuerit, Boeckhius explicat[1]) in alteram editionem eas temporum rationes transtulisse, quae nisi in priore editione aptum locum tenere nequeant. Ol. LXXXVII, 1 primum edita est fabula, i. e. anno, quo bellum illud universae Graeciae tam perniciosum instabat. Praecesserant pugnae illae Epidamni ortae, Corinthiorum in Athenarum hegemoniam invidia productae atque auctae. In omnium etiam ore erant discrimina inter Athenas et Potidaeam, Corinthiorum coloniam sed Atheniensibus stipendiarium, eadem Corinthiorum agitationibus producta[2]). Denique, Atheniensibus sat multae erant causae, cur maxime Corinthiis irascerentur. Iam Medeam legamus! Quam praeclare talibus temporibus accomodatae sunt chori lamentationes, qui vss. 410 sqq. haec evocat:

*ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί*
*καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.*
*ἀνδράσι μὲν δόλιαι βουλαί, θεῶν δ'*
*οὐκέτι πίστις ἄραρε.*

vs. 439: *βέβακε δ' ὅρκων χάρις, οὐδ' ἔτ' αἰδὼς*
*Ἑλλάδι τᾷ μεγάλᾳ μένει, αἰθερία δ' ἀνέπτα.*

Non unius poëtae, — omnium bonorum civium his manifestantur sententiae ac sensus de foederibus solutis, de perfidia atque impudentia, quae iam pro vetere fide grassentur. Haud inepte huc quoque refert Weckleinus colloquii illius inter Medeam et Aegeum formam diplomaticam — si barbaro hoc vocabulo uti licet —, qua, quae inter Corcyraeos

---

1) l. c. pag. 175 sqq. vid. supra pag. 6. 7. — 2) cf. Thucyd. I 56–66

et Athenienses de foedere contra Corinthios pangendo Athenis acta sint, in spectantium memoriam revocentur [1]). Atque his opponuntur laudes, quibus tertio stasimo, inde a vs. 824, chorus Atheniensium terram praedicat, qua novem Musas ipsas Harmonia aluisse dicitur, qua Venus rosearum serta capillis innectens Sapientiae comites sociaverit Amores, cuiusvis virtutis adiutores, qua pulchri atque honesti studium colatur, nec scelestis incedere liceat. Cf. vss. 830 sqq.:

*ἔνθα ποθ᾽ ἁγνὰς*
*ἐννέα Πιερίδας Μούσας λέγουσι*
*ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι.*

vss. 846 sqq.: *πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν*
*ἢ πόλις ἢ φίλων*
*πόμπιμός σε χώρα*
*τὰν παιδολέτειραν ἕξει,*
*τὰν οὐχ ὁσίαν.*

Nonne Periclis tempora clarissimis his laudibus efferuntur, quibus Athenis artes et litterae cum virtute civili de corona certabant? An putandum est, haec Euripidem eo tempore scripturum fuisse, quo res Atheniensium sic erant turbatae, ut summa anarchia Athenis floreret, quo non solum externi hostes patriam opprimerent, sed intestina maxime discordia ordo ac salus pessum daretur; quo Euripides ipse tanto status, quo erat res publica, taedio afficeretur, ut alienorum hominum consuetudinem atque amicitiam quaereret, sine qua senili aetate cum otio et dignitate frui non licet. —

Sed haec quidem hactenus. Quocunque te verteris, nusquam argumentum invenies satis certum, aut veri simile, quo demonstrare possis, Euripidem Medeam iterum edidisse, aut omnino causam habuisse, cur iterum ederet. Nisi alia certiora afferantur argumenta in eo acquiescendum nobis esse censeo, Medeam, quam habemus, eandem esse, quae Ol. LXXXVII, 1 in scaenam missa est.

Quod optime cum iis convenire, quae in universum de

1) Cf. Thucyd. I. 32—44.

Euripidearum fabularum chronologia nota sint, brevibus exponendum est.

## VI.

Mentionem supra fecimus Hermanni sententiae[1]), qui 'critico, antequam ad fabularum emendationem accedat, quo quaeque tempore scripta sit, et proinde, quantum in quaque studii aut incuriae ferri possit', investigandum praecipit. Inter priores enim et posteriores fabulas cum Sophoclis tum Euripidis magnum nec casu intercedere discrimen; Aeschylo enim iam dudum mortuo, 'cum furiose tragoediis delectarentur Athenienses' copiam exstitisse illorum poëtarum, qui etsi corrumperent tragicam artem, tamen haud displicerent plebi, unde effectum esse, ut ne meliores quidem poëtae illud studium illamque diligentiam, qua ante essent usi, retinerent. Quam mutationem factam esse Ol. XC et XCI. Investigandi autem temporis, ubi veterum ipsorum desunt testimonia, non unum exstat indicium. Notum est, Euripidem, — Sophoclem missum faciamus —, in componendis metris longe aliam secutum esse rationem in prioribus quas scimus tragoediis, atque in posterioribus. Cum illarum metra Aeschyleis ac Sophocleis similia sint metris, in postremis maior est metrorum varietas, et quod imprimis est commemorandum, cum posterioribus plurimae in trimetris reperiantur solutiones, in prioribus eiusmodi exstant rarissimae. De quo conf. Ioh. Rumpelii comentationem[2]), qui hunc secundum solutionum numerum constituit fabularum ordinem:

| Fab. | trimetr. numer. | solut. |
|---|---|---|
| Hippol. | 1042 | 62 |
| Alcest. | 803 | 53 |
| Medea | 1037 | 74 |
| Heracl. | 895 | 66 |
| [Rhes. | 687 | 63] |

1) Cf. pag. 6 — 2) Die Auflösungen im Trimeter des Euripides, Philol XXIV, 1866 pag. 407 sqq.

| Fab. | trimetr. numer. | solut. |
|---|---|---|
| Andr. | 956 | 152 |
| Suppl. | 950 | 175 |
| Hecub. | 917 | 182 |
| Electr. | 982 | 205 |
| Herc. f. | 1001 | 244 |
| Ion | 1053 | 362 |
| Iphig. Taur. | 1077 | 310 |
| Phoen. | 1194 | 412 |
| Hel. | 1266 | 443 |
| Cycl. | 587 | 239 |
| Bacch. | 927 | 398 |
| Iph. Aul. | 882 | 368 |
| Orest | 1195 | 577 |

En, quantum inter Hipp., Alcest., Heracl., et Bacch., Iph. Aul., Orest, intercedat discrimen. Medeam autem inter priores fabulas esse habendam, tabula docet. Conferas alteram quoque Rumpelii commentationem[1]), ex qua apparet Medeam omnium Euripidearum fabularum eam esse, quae plurimos habeat trimetros iambicos, in quibus nullae reperiantur solutiones, nempe LXVI, qui quidem numerus cum Aeschylei Promethei et Sophoclei Oedipi Col. ratione convenit. —

Prorsus nova argumenta, quae inter priores fabulas et posteriores intercedant discrimina diiudicandi ex Tych. Mommseni commentatione nuper allata, colligere licet[2]). — In qua inter alia id quoque numeris demonstratur, inter priores Aeschyli et posteriores Euripidis fabulas tantum, quod ad praepositionum attinet usum, interesse, ut, cum in Aeschyli Persis fere sexto quoque versu, — 6, 52 —, praepositio reperiatur, in Euripidis Bacchis iam tertio quoque, — 3, 77 —, versu exstet praepositio; Sophoclis et Aeschyli reliquos medium tenere, — 5,41 — 4,67 —; Euripidearum autem priores, id

1) Philol. XXV pag. 471 sqq: Zur metrik der tragiker. 1. Rein iambische trimeter. — 2) Entwickelung einiger Gesetze für den Gebrauch der griechischen Präpositionen etc.

quod nostra maxime interest, Sophocleas fabulas et Aeschyli posteriores aequiparare: Med. 5,86 —, Heracl. 5,38 —, Hec., Herc. f., Alcest., Hipp., Cycl., 4,88 — 4,63; in posterioribus autem multo plures adhiberi praepositiones, 4,43 — 3,77; hoc ordine: Phoen., Ion, Troad., Suppl., El., Iph. Aul., Iph. Taur., Orest., Hel., Andr., Bacch. — Altera quam demonstravit Mommsenus, lex haec est: 'das Vorwalten des Dativs bei Präpositionen gehört der älteren und der poëtischen, das des Accusativs der jüngeren Sprache und der Prosa, das des Genetivs den rhetorisch-philosophischen Elementen in Poësie und Prosa'; docemur, dativum post praepositiones apud Aeschylum praevalere; apud Sophoclem genetivum, ad quem in Philocteta accusativus accedat, apud Euripidem accusativum in posterioribus, cum priores ad Philoctetae rationem propius accedant. Sed et in illis non nisi paullatim accusativum imperium occupare, dum genetivus ac dativus reprimantur, haec tabula, ex meis collectaneis prius in alium usum factis manifestum reddat. — Numeri significant, quota pars omnium in unaquaque fabula casuum obliquorum, ex praepositionibus pendentium, singulis casibus sit tribuenda:

| Fab. | acc. | gen. | dat. |
|---|---|---|---|
| Heracl. | 3,17 | 2,80 | 3,11 |
| Alcest. | 3,09 | 3,17 | 2,61 |
| Med. | 3,0 | 2,38 | 4,05 |
| Hecub. | 2,95 | 3,04 | 3,09 |
| Andr. | 2,63 | 2,57 | 4,30 |
| Hippol. | 2,61 | 3,08 | 3,04 |
| Troad. | 2,61 | 3,15 | 3,33 |
| Iph. Thaur. | 2,59 | 2,77 | 4,0 |
| Bacch. | 2,50 | 3,65 | 3,06 |
| Cycl. | 2,48 | 3,89 | 2,94 |
| El. | 2,44 | 3,38 | 3,38 |
| Ion | 2,39 | 3,37 | 3,5 |
| Hel. | 2,32 | 3,79 | 3,16 |
| Suppl. | 2,26 | 3,70 | 3,35 |

| Fab. | acc. | gen. | dat. |
|---|---|---|---|
| Phoen. | 2,24 | 3,46 | 3,74 |
| Iph. Aul. | 2,2 | 3,75 | 3,58 |
| Orest. | 2,19 | 3,17 | 4,38 |
| Herc. f. | 2,14 | 3,77 | 3,77. |

Quod in Alc. et Cycl. dativus tantum praevaleat Mommsenus ad artificiosam elocutionem dramatis satyrici referendum putat. In Heracl. Med. Andr. genetivus etiam praevalet, deinde paullatim accusativus imperium obtinet, Hec. Hipp., etc. Genetivus et Dativus in posterioribus aequas tenent partes. — Quanti harum rationum cognitio momenti et in diiudicandis iteratis editionibus sit, apparet. Itaque haec hactenus.

Epimetrum I.

Medeae versus 846 sqq., pag. 33 citati, sic vulgo leguntur:

*πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν*
*ἢ πόλις ἢ φίλων*
*πόμπιμός σε χώρα*
*τὰν παιδολέτειραν ἕξει*
*τὰν οὐχ ὁσίαν μετ' ἄλλων;*
*σκέψαι τεκέων πλαγάν,*
*σκέψαι φόνον οἷον αἴρει.*

Iam scholiasta versu 850 legisse videtur: *μετ' ἄλλων*, cum ad vs. 851 haec adnotet: *πλαγάν· τὴν πληγήν, φησί, τὴν τῶν τέκνων καὶ τὸν φόνον μὴ προπετῶς δράσῃς, ἀλλὰ πρότερον μεθ' ἡμῶν ἢ ἄλλων τινῶν σκέψαι, εἰ τοῦτο χρή σε δρᾶσαι.* Sed quam languide verba illa dicta essent, non pauci fuerunt, qui intelligerent; ac diversissimas explanandi locum vias ingressi sunt viri docti, ut quisque aut ad praecedentem aut, quod et scholiasta censuisse videtur, ad insequentem sententiam '*μετ' ἄλλων*' referenda esse sibi persuasit. Videamus quid de priore ratione sit iudicandum. Qui vulgatam lectionem, ut Weckleinus, servant, verbis '*τὴν οὐχ ὁσίαν*' opponi putant '*μετ' ἄλλων*' sc. *ὁσίων ὄντων.* Sed vereor ne, ubi verba premimus, — ut de durissima elocutione

taceam —, minus 'μετ' ἄλλων sc. ὁσίων ὄτων' quam 'μ. ἄλλων sc. οὐχ ὁσίων ὄντων' ex praecedentibus supplere debeamus, qua quidem ratione tota pervertitur sententia. Quod si cui argutius quam verius videatur disputatum esse, monendum est, longe aptius ea quae verss. 846—48 praedicentur, 'ἡ ἱερῶν ποταμῶν πόλις — πόμπιμος χώρα' Medeae 'τῇ οὐχ ὁσίᾳ, τῇ παιδολετείρᾳ' opponi. Qua de causa nec eo, quod Elmsleius[1]) proposuit: 'μεθ' ἁγνῶν', nec, quod Jacobsius[2]) 'μετ' ἀστῶν', rem explanatam esse putaverim; quod et in Hermannum cadit, cuius coniectura 'τὰν οὐχ ὁσίαν μέγ' ἄλλων' vix quid habet probabilitatis. —

M. Hauptius[3]) audaciorem quam probabiliorem protulit sententiam, cum hoc Euripidem scripsisse putet: 'τὰν οὐχ ὁσίαν μεταλλᾶν', quod sic esse vertendum: 'quam pro scelere suo nefas est adloqui'. Atque nititur Hauptius, ut usum illum alias inusitatum verbi 'μεταλλᾶν' comprobet, loco quodam Pindari, Ol. VI, 61, ubi haec leguntur:

ἀντεφθέγξατο δ' ἀρτιεπής
πατρία ὄσσα, μετάλλασέν τέ νιν· ὄρσο τέκνον
δεῦρο πάγκοινον ἐς χώραν ἴμεν φάμας ὄπισθεν.

Sed primum, quid verbum 'μετάλλασεν' apud Pindarum significet, apud viros doctos prorsus non constat, cum alii mutationem alii hanc illam interpretationem praeferant. Sed, etiamsi eam, quam Hauptius adoptat, significationem concedamus, gravissimae restant dubitationes, et graecis verbis et Hauptii versione motae, qua quid faciam, vix scio. Verba 'τὰν οὐχ ὁσίαν μεταλλᾶν' latinis verbis reddita hoc significant: 'eam non (tam) sanctam, quae (ipsa) adloquatur,' — quod tamen quomodo in hos versus quadret nescio. Sed prorsus alio modo Hauptius vertit, si 'adloqui' verbum transcribimus: 'eam non (tam) sanctam, quae (ab aliis) adpelletur', quod quidem unice aptum esset, cum de muliere agatur, vix digna, quacum alii conloquantur, quae adpelle-

---

1) Mus. crit. II pag. 29. — 2) Animadv. in Eur. pag 25. — 3) Hermes V, 178

tur. Sed tum si hoc significare volebat Hauptius, non activo verbo vel deponenti, sed passivo uti debebat, aut versum sic constituere:

*ἂν οὐχ ὅσιον μεταλλᾶν*

quod tamen non erat vertendum ʻquam pro scelere suo nefas est adloquiʼ quam ʻpro scelere eiusʼ. Videmus igitur hanc quoque coniecturam vix posse defendi. — Veram emendandi viam primus Samuel Petitus[1]) videtur ingressus esse, cum verba illa ad insequentem versum pertinere recte opinatus sic tamen scribendum putet: *μεταλλῶν Σκέψαι τεκεών πλαγάν*, i. e. ʻaccurate perpendens considera, quid faciasʼ, — quod ferri non posse statim apparet, cum participii genere feminino de Medea uti nos necesse sit — Imperativum scribendum conicio: ʻ*μετάλλα*ʼ, qui et cum sequentibus congruit et in chorum Medeam monentem optime quadret: ʻPerpende, considera, qualem committas caedem.

Epimetrum II. Ad pag. 22 vs. 1 sqq.

Quantum eiusmodi sententias et forma simillimas Euripides adamaverit, duorum fragmentorum docet analogia.

1. Frgt. 62 D. Orion Flor. 1,3 pag. 41,9:

*μισῶ σοφόν*
*ὄντ᾽ ἐν λόγοισιν, ἐς δ᾽ ὄνησιν οὐ σοφόν.*

2. Frgt. 879 D. Ar. Ran. 1427:

*μισῶ πολίτην ὅστις ὠφελεῖν πάτραν*
*βραδὺς φανεῖται μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς* etc.

qualia a posterioribus facillime poterant commutari et ad falsos locos referri.

Epimetrum III. Liceat in appendicis loco hic pauca diiudicanda proponere, quae cum in Euripidis in adhibendis praepositionibus usum inquirerem, disputandi ansam ac materiam praebere viderentur.

I. Praepositio *μετά* his locis aut falso in codd. est tradita, aut certe habet, quod commemoratione dignum sit:

1. Hecuba 503. 4:

1) Miscell. II 20.

*Ταλθύβιος ἥκω, Δαναϊδῶν ὑπηρέτης,*
*Ἀγαμέμνονος πέμψαντος, ὦ γύναι, μέτα.*

Scholiasta ad vs. 503 haec adnotat: *Ταλθύβιος ὁ τῶν Ἀχαιῶν κῆρυξ ἥκω, μετακαλεσαμένου σε, ὦ γύναι, τοῦ Ἀγαμέμνονος.* W. Pierson[1]) hanc, quam dicit, praepositionis tmesin anastrophicam eo defendi vel potius commendari censet, quod hac praepositionis positione nuntii vis et auctoritas augeatur; pronomen '*σε*', quod nonnulli, — cum scholiasta —, addiderint post '*πέμψαντος*', subaudiri necesse non esse, cum '*μεταπέμπειν*' etiam idem sit quod germanice 'nachsenden'. Quam tamen sententiam nulla ex parte posse probari, Nauckius docuit[2]), etsi ipse diiudicare se nequire dicit, quomodo locus sanetur. Elegantissimam coniecturam proposuit M. Seyffert[3]) qui pro '*μετά*' scribit '*με σοί*', quo et cum sequentibus conexus firmior reddatur. Sed quamvis haec arrideat sententia, nescio an non et hic ut aliis locis duas praepositiones mutatas esse putem, ac quod Dindorfius proposuit, pro '*μετά*' '*πάρα*' sit scribendum, quo omnis tollitur difficultas.

2. Hecuba 354:

*δέσποινα δ' ἡ δύστηνος Ἰδαίαισιν ἦν*
*γυναιξὶ παρθένοις τ' ἀπόβλεπτος μέτα*
*ἴση θεοῖσι πλὴν τὸ κατθανεῖν μόνον.*

Sic codd. M. A, nisi quod M a. m. s. habet *τ'*, V *παρθένοισι.* — Pro '*μέτα*' Canterus '*μέγα*' scribendum proposuit. Dindorfius pro dativo genetivum commendat '*παρθένων*', ut 'feminis una cum virginibus' vertas, quae quidem ratio eo firmatur, quod undesexaginta illis fabularum Euripidearum locis quibus poëta ad societatem quandam significandam '*μετὰ*' praepositione cum substantivis vel pronominibus personalibus coniuncta usus est semper genetivus legitur, excepto hoc Hecubae loco. Sed puto, hunc unicum locum apud Euripidem statuere nobis licere, quo significatio prima et homerica *μετὰ*

1) Rh. Mus. XI, 272. — 2) Eur. Stud. I pag. 12. — 3) Rh. Mus. XVII pag. 48.

c. dativo praepositionis servata sit: 'in mediis mulieribus et virginibus'; quocum scholiastae adnotationem conferas: *ὑπῆρχον δὲ ἡ δύστηνος δέσποινα ἐν ταῖς Ἰδαίαις γυναιξίν, ἐν παρθένοις τε περιφανής.*

3. Iph. Aul. 1110: Agamemnon filiam immolaturus Clytaemnestram his adloquitur verbis:

*ἔκπεμπε παῖδα δωμάτων πατρὸς μέτα.*

Clausulam versus corruptam videmus. Paleius hanc proponit emendationem:

*ἔκπεμπε τὴν σὴν παῖδα δωμάτων πάρος.*

Fortasse minore verborum mutatione sic versus est constituendus:

*ἔκπεμπε παῖδα δωμάτων ἔξω πατρός.*

Cf. Phoeniss. vs. 1004. 1322.

4. Suppl. 1115 sqq. Nauckius sic constituit:

*λάβετ', ἀμφίπολοι*
*γραίας ἀμενοῦς· οὐ γὰρ ἔνεστιν*
*ῥώμη παίδων ὑπὸ πένθους*
*πολλοῦ τε χρόνου ζώσης μέτα δὴ*
*καταλειβομένης τ' ἄλγεσι πολλοῖς.*

Vs. 1118 cod. P. *δὴ χρόνου σώζεις*, C. *δὴ ζώσης*, Musgravius pro '*μετά*' '*μέτρα*', Hartungius pro *δὴ* '*τε*', Dindorfius '*δέ*'. Primum videndum est, utrum '*μέτα*' praepostio servanda an reicienda sit. Si servamus, quod Nauckius fecit, sic construenda est sententia: *οὐ γὰρ ἔνεστι ῥώμη μετὰ (τῆς) πολλοῦ χρόνου* (i. e. *ἐκ πολλοῦ χ.*) *ζώσης κ. τ. λ.*, quae tamen ob insolitum genus dicendi vix possunt probari, cum et verbum '*ἔνεστι*' cum '*μετά*' praeter consuetudinem coniungatur, et genetivus *πολλοῦ χρόνου*, pro quo accusativum, exspectamus, displiceat. Itaque Musgravium sequentes '*μέτρα*' recipiamus, unde genetivus '*πολλοῦ χρόνου*' pendeat. Tum sic constituenda esset sententia: *οὐκ ἔνεστι ῥώμη (τῆς) πολλοῦ χρόνου μέτρα ζώσης*, ubi '*ἔνεστι*' pro '*ἔστι*' dictum esset, et eadem ratio parum usitata ac dura, prae verbi '*ἐνεῖναι*' cum dativo constructione, — quam et hic praetulerim: *ζώσῃ καταλειβομένῃ*. Totum igitur locum sic Euripidem composuisse puto:

*λάβετ᾽, ἀμφίπολοι*
*γραίας ἀμενοῦς· οὐ γὰρ ἔνεστιν*
*ῥώμη παίδων ὑπὸ πένθους*
*πολλοῦ τε χρόνου ζώσῃ μέτρα δή,*
*καταλειβομένῃ τ᾽ ἄλγεσι πολλοῖς.*

Cur pro '*καταλειβομένης*' Nauckius '*κατατριβομένης*' vel '*κατατρυχομένης*' scribere malit, causam non video.

II. Duobus locis '*ὑπέρ*' praepositio pro '*ὑπό*' per errorem videtur esse tradita, de quo certum iudicium ferre non licet, nisi Euripidis in adhibenda illa praepositione usu perplorato.—

*Ὑπέρ* c. gen. 81 locis legitur apud Euripidem, 75 tragoediarum integrarum, 6 fragmentorum locis, atque his quidem significationibus:

I de spatio:

a. de quiete in loco, über, oberhalb: Hec. 37; Suppl. 31, 1046; El. 1233; Ion. 1209; Bacch. 880, 899; Herc. fur. 817; Phön. 227; Iph. T. 26, 1140; Rhes. 886; Alc. 45; frgt. 310 vs. 2 D.

b. de motu per spatium, über hin: Suppl. 28; El. 459; Phoen. 210; Bacch. 870; Or. 1187; frgt. 582 v. 4.

II tropice, quae ratio ex significatione sub I a illustrata derivatur:

a. *ὑπέρ*, für, zum Schutze, post verba et substantia pugnandi: *ἀγωνίζεσθαι, μάχεσθαι, εἰς ἀσπὶν ἐλθεῖν* etc.: Hel. 844; Phoen. 1002, 1326; *στρατηλάτης ὑπὲρ γῆς* Orest. 574. Quacum ratione arctissime cohaeret:

b. *ὑπέρ*, für, um willen, zum Besten, in commodum, in utilitatem etc.; saepissime post moriendi, laborandi et sim. verba: *θνήσκειν ὑπέρ τινος*: Troad. 387; Hec. 310; Andr. 410; Herc. f. 577; Heracl. 532, 545; Orest. 1232, 1334; Iph. Aul. 312, 1389; Alc. 284, 690; frgt. 362 vs. 18; *διολλύναι, ἀπολλύναι, ἀπολέσθαι, κτείνειν, θύειν, σφάττειν, θῦσαι διδόναι, πονεῖν* etc.: Troad. 370; Hec. 30, 139; Andr. 317; El. 1067, 1125; Ion 293; Heracl. 331; Phoen. 912, 1056; Or. 656, 676; Iph. Aul. 1457, 1553; frgt. 384 vs. 4; frgt.

250, 3; cum gen. pronominum: Ion 1283; Herc. fur. 172; Phoen. 1238; Heracl. 164.

c. ὑπέρ für, pro, post petendi, orandi verba et substantiva: Hel. 896; Bacch. 361, 2; Heracl. 757; Or. 673.

d. ὑπέρ, über, de, post dicendi verba: Andr. 670; Iph. T. 766; Or. 1056; Iph. Aul. 641, 811.

e. ὑπέρ, für = ἀντί, accedente utilitatis, gratiae, commodi significatione: Or. 1134; Suppl. 1190; Bacch. 41.

f. ὑπέρ, de, über, um, post verba quaedam et substantiva animi perturbationes significantia. Androm. 1270:

παῦσαι δὲ λύπης τῶν τεθνηκότων ὕπερ.

Hippol. 158: λύπᾳ δ' ὑπὲρ παθέων

Hippol. 258: τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
ψυχὴν χαλεπὸν βάρος

Or. 968: ἔλεος ἔρχεται ὑπὲρ τῶν θανουμένων

Iph. Aul. 460: ὡς γυναῖκα δεῖ ξένην
ὑπὲρ τυράννων συμφορᾶς καταστένειν.

Troad. 38: δάκρυα χέουσα πολλὰ καὶ πολλῶν ὕπερ —.

Quibus locis adiungam Troad. 830: οἷον οἰωνὸς
ὑπὲρ τεκέων βοᾷ.

Iam vero duo extant loci apud Euripidem, quibus ὑπὲρ praepositionis ea significatio, quam locorum illorum postulat ratio, ad nullam earum, quas illustravimus, rationum possit referri, nec ex iis derivari.

Eur. Suppl. 1125: βάρος μὲν οὐκ ἀβριθὲς ἀλγέων ὕπερ.

Andr. 490: κτείνει δὲ τὴν τάλαιναν
δύσφρονος ἔριδος ὕπερ.

Kuehnerus[1]) haec explicat: 'ὑπέρ dient zur Angabe einer innern geistigen Ursache, wo gewöhnlich ὑπὸ c. gen. gebraucht wird, als ὑπὲρ πένθους, ὑπὲρ παθέων; Eur. Suppl. 1125. Andr. 490'. Sed duas rationes vir doctus videtur turbasse. Nam, ubi talia qualia sunt ὑπὲρ πένθους, ὑπὲρ παθέων, tam absolute usurpantur, ut idem efficiant, quod ὑπὸ πένθους, ὑπὸ παθέων, — qualia quidem haud raro apud Euripidem

1) Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, II, 421.

leguntur? An forte Kuehnerus, cum omnia illa exempla ex Euripide hauserit, et illud ‘ὑπὲρ παθέων’ Euripidi debet, Hipp. 158, quo tamen loco ab praecedente substantivo verba illa pendere, sub f antea demonstravi. Illae igitur analogiae nullae sunt, — nec puto, ex variis ‘ὑπὲρ’ praepositionis significationibus ullo modo eas rationes posse derivari, quas Supplicum et Andromachae locis exspectamus, priori ‘prae, prae doloribus’ altero ‘ex, ἐξ’, quam utramque rationem ‘ὑπὸ’ praepositio coniungit. Illo loco iam Fixius ὑπὸ scribendum esse commendaverat, quem secutus est Dindorfius, non sequente Nauckio. Altero loco Hermannus praepositionem ἐξ, — ἐξ ἔριδος, alio tempore ἀμφ’ ἔριδος —, recepit, quae ratio et accuratiore strophae responsione commendatur. Sed facilius quomodo ex: ‘ἔριδος ὕπο’, quam quomodo ex: ‘ἐξ ἔριδος’ id quod traditum est ‘ἔριδος ὕπερ’ nasci potuerit intelligitur.

## Corrigenda.

pag. 10 vs. 31: πρὸς — ἐξοπλιζόμεσθα·
„ 12 vs. 22: ἐκμεμόχθηνται

Natus sum Theodorus Adolphus Joannes Klette Crossenae ad Viadrum a. d. XI cal. Apr. anni h. s. LI, patre Ferdinando, qui nunc superintendentis munere Posnaniae fungitur, matre Emma e gente Boumanniae. Fidei sum addictus evangelicae. Anno h. s. LVIII in gymnasium Posnaniense sum receptus, cuius scholas per XII annos frequentavi, Marquardtio, Sommerbrodtio, Schapero rectoribus. Anno LXX, maturitatis testimonio accepto, primum ad mensem anni LXXI Aprilem stipendia feci; deinde Jenam me contuli, ut studiis philologicis operam darem. Atque adii scholas virorum illustrissimorum Bursiani, Delbrueckii, C. Fischeri, Gaedechensii, Nipperdeii, A. Schmidtii, B. Schmidtii, M. Schmidtii, seminarii philologici sodalis fui per semestre extraordinarius, per duo spatia semestria ordinarius. Biennio Jenae absoluto, Lipsiam me contuli, ubi scholis interfui G. Curtii, L. Langii, Ritschelii, Zarnckii. Exercitationes autem frequentavi societatis Ritschelianae per quatuor spatia semestria; per duo seminarii phil. reg. sodalis ordinarius, paedagogici seminarii, rectore Ecksteino, extraordinarius, seminarii germanici per semestre sodalis extraordinarius fui. Quibus viris omnibus debitas habeo gratias semperque pio animo habebo.

Typis Ferberi et Seydelii, Lipsiae.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 047 969 5
